

AB
57012



№ 4010 *

PROPOSITIONES PHYSICAE

DE RERVM CAVSIS,

EXERCITII GRATIA IN INCLY-
TA IVLIA ACADEMIA DISPV-
TANDAE PROPOSITAE;

De quibus Deo volente,

Sub praesidio


M. OVENI GVNTHERI, ARISTO-
TELICAE PHILOSOPHIAE

ibidem Professoris publici,

RESPONDEBIT


*M. JOHANNES LEO PAPÆ-
burgensis.*

Die 15. Martij Anno 1600.




HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1600.





PROPOSITIONES PHYSICAE
de rerum causis.

I.

 Ausarum tractatio Philosophi propria est, diuiso tamen opere, Physici seu naturalis munus ac professio est τὸ πᾶντ' ἢ seu uniuersi indagare substantias, & eidem inherencia πᾶθῃ cognoscere, quod uno nomine nunc cælum, nunc mundus appellatur, cuius natura & essentia ratio definitur systema ex cælo, & terra, & extremis hisce interiectis naturis.

2. Ad practicum verò philosophum, & ciuilibus vitæ magisterium profitem tempertinet actionum humanarū, vitæq; rationem continentium, rerum deniq; publicarum conditarum, vel collapsarum causas ac principia considerare. Sicut enim anima per virtutem θεωρητικὴν perspicit essentias rerum & earundem motuum ac mutationum originem, ac principia, ita per δύναμιν πρακτικὴν contemplatur ortuum ac mutationum causas, virtutum & vitiorum, tam in vita cuiusque priuata, quàm publica indagat.

3. Quicquid igitur in vita tam theoricæ, quàm practicæ cognitione dignum offertur animo, ad causas non qualescunq; sed certas & determinatas reuocandum est. Hoc ut fieri possit, omnino uniuersa causarum ratio, differentia, & numerus prænosendus est, ut utriusq; vitæ, tam formatoribus quàm discipulis exploratum esse possit, quid & qualia de oblato negotio respondendum sit. siquidem nihil omnino siue in vita actiuosa siue contemplatiua occurrit, quod non aliunde, & à certis causis dependeat, sine quarum apprehensione nemo vel cognitionem alicuius rei sibi vendicare potest vel omnibus numeris absolutam scientiam iactare.

4. Quatuor igitur in uniuersum sunt causarum genera ex quibus aliquid per se prouenit. Harum prima est materia, omnia siquidem

natura opera fiunt ex aliquo, quod ipsis inest, & quo cum sunt concreta, reliquis omnibus causarum generibus sese subiiciens, eisque ut sit actu quippiam indigens, ipsa quippe nullam omnino rei constituenda facultatem suapte natura habet solitaria manens.

5. Materie nomine non unum aliquod materiale principium rei intelligimus, sed simul omnia, quae de illo predicantur: quae vocabulo generis expressit Aristoteles inquiring $\eta, \tau\alpha \tau\epsilon\tau\omega\nu \gamma\epsilon\nu\eta$. Verbi gratia, si ex hoc are dicatur statua facta, non solum individuum es materia statuae est, sed communiter es, item metallum, corpus mixtum, omnia siquidem haec de are predicantur.

6. Materie species multae sunt, ut literae sunt materia syllabarum, elementa corporum mixtorum, hypotheses conclusionum, nam haec rei insunt, & ex his intellectus scientiam extruit.

7. Ex quibus autem res nascitur quaequam, unum dicitur subiectum, ut partes quibus inest forma totius, seu materiaram totalitas, eiq; subsunt, dum ex illis unum aliquid, id est, totum fit: Alterum species qua rei generatae quidditas seu essentia explicatur.

8. Nasci autem res illa triplici modo dicitur: aut ratione qua totum incipit esse, seu unum ex multis: ut cum ex quatuor elementis nascitur unum mixtum. Et hoc modo dicitur proprie aliquid nasci, seu generari.

9. Aut res nasci dicitur quotiens ex multis componitur, ut domus ex camentis lateribus, lapidibus, lignis, diciturq; ortus hic $\sigma\omega\delta\epsilon\tau\iota\varsigma$ seu compositio, alias $\sigma\omega\delta\epsilon$ id est coitio.

10. Tertio res nasci dicitur ratione formae, ipsi materiae unitae. Sed hic generandi modus $\sigma\omega\delta\epsilon\delta\omicron\chi\eta\omega\varsigma$ generatio dicitur: non enim ipsa forma, sed materia proprie generari dicitur, quia pura $\delta\iota\upsilon\alpha\mu\iota\varsigma$ est, actum vero per formam sortiens.

11. Porro hic causa modus Aristoteli primus est non ratione praestantiae & dignitatis: superatur enim ab omnibus alijs causis, perfectione & dignitate, sed quia ceteris omnibus notior est, adeo ut antiquis physiologis sola cognita ac in explicandis, & demonstrandis rerum rationibus adhibita

adhibita fuerit : quod tamen inerudite ab illis factum passim idem arguit.

12. Deinde & hoc iure in illis culpat, quod statuerint naturam omnia agere materiae necessitate, nullumque prorsus finem in ciendis motibus sibi propositum habere, nec posse alium effectum producere, quam materiae ab initio fortuito casu orta, rata & inuariabilis lex importat.

13. Similiter etiam improbat, quod materiae necessitati, ob euiden-
tiam eius, perpetuas specierum conseruationes, ac propagationes, tempo-
rum perennes vicissitudines, ceterasque mutationum continuas vires as-
scribendo, causam efficientem & finalem, prorsus in effectuum natura-
lium productione neglexerint. Horum igitur philosophandi rationem
secutus Aristoteles, primo loco in causarum explicatione materiam po-
suit, minimè autem praestantia respectu cum cetera causa longe nobilio-
res sint.

14. Interim tamen haudquaquam ex causarum numero excluden-
da, siquidem ut ceteris causis utimur in demonstrandis rerum rationi-
bus, & scientijs constituendis, ita & materia muneris eiusdem partem
aliquam sibi iure vendicat. Non enim absurdum est omnia illa quae fi-
unt materiae necessitate etiam definitione eiusdem demonstrari. Sic
Medici plurima morborum genera ex sola materia considerant & de-
monstrant: si queratur, siue haec vel illa febris sanguinea ex materia
proprietate rationem petunt. Sic oedemata, herpes, phagedaena, can-
cer, & omnis generis abscessus describuntur materijs ex quibus fiunt.

15. Secundus causa modus est forma, seu species, non illa quae est
agentium virtute materiae assoicata, haec enim corporea est, & materia-
ta, effectus potius quam causa rationem obtinens: sed animo concepta,
rebus foris positis auulsa, non existens non etiam αὐτῶν seu certo subie-
cto deuincta.

16. Haec uniuersalis, & communis forma, cuiusque essentiae λόγος seu
ratio & definitio existens: ideoque indiuidua & simplex, omnes formas
materiae concretas antecedit, eamque agens naturale rebus conciliare
annuens, ut scopum sibi propositam habet, materiam δυνάμει ἔσιν
existentem

existentem motibus atq; mutationibus ita alterans, afficiens, ac disponens, ut forma illius habilis facta, totum seu rem naturalem cum illa constituat.

17. Hanc geminam formæ rationem, absolutæ scilicet & materiae inherens, respiciens Aristoteles, duplici nomine τὸ εἶδος ἢ τὸ παράδειγμα & eandem expressit: Speciei, si in materia consideretur, actu eam existere faciens ac τὸ δεῖν produciens: Exemplaris, quia natura ad eam veluti scopum ac finem in gignendis rebus, molitiones suas dirigit, non secus ac operum molitores exemplar aliquod in affabrè machinandis rebus intuentur.

18. Minimè verò existimandum naturam, quia mente destituta brutaq; videatur quodammodo esse, propterea indefinitè, temerè, ac vago motu, sine ullo fine proposito ferri: quin potius rata lege destinatoq; scopo, omnia molitur, à temeritate, errore, & fortuito casu per se, suaq; indole alienissima.

19. Finis iste cuius gratia omnia consulto agere videtur, est bonum aliquod, hoc autem rei cuiusq; actus est, & perfectio, melius enim est esse quàm non esse, item bene esse quàm qualitercunq; esse, ideo primo existentiam rei intendit, deinde ut quàm optimè sese habeat satagit.

20. In huius boni adipiscendi studio naturam non plane brutam esse dico: paret enim, ut uniuersa mundi machina, latenti cuidam motrici virtuti attingenti, à fine ad finem, disponenti omnia suauiter, paret inquam ut supremæ omnium motrici virtuti, ad cuius nutum contremiscunt, & pauent cæli columnæ, ad cuius contuitum oculi conuiuent, Ratio caligat: Ex opificij tamen consideratione, qualiscunq; umbella eius menti molescit: pleni enim sunt cæli, & terra gloria maiestatis diuinæ.

21. Hic rerum motor primus, ac conditor omnium Deus, creando impertitus est naturæ facultatem illam, ut cum nulli partium disparium corpori, perpetuæ existentia beneficium contulerit, subinde renasci possint singula, numero ab illis quæ esse desierant discrepantia, specie prorsus eadem,

eadem, & sic malum corruptionis renascentia bono liberalissime
Deus rerum opifex compensavit.

22. Hanc naturæ solertiam destinato sine omnia agentis exterio
gubernata principio, contemplari quispiam potest in corporis huma-
ni partibus: Manus eximia opera efficiunt, tam scite opificiorum
structuras machinantur, scribunt, pingunt alieno habitu condoce-
facta, ut intuentium oculi, aspiciendi voluptate expleri nequeant:
& quod magis est, cytharas, cæteraque instrumenta musica tanta
harmonie gratia mouent, ac si ipse sapiant, & intelligant, non te-
merè ac fortuito sic mota, sed legem à mente acceptam secuta. Si-
mile quid in reliquis partibus consideranti occurrit.

23. Quod igitur manus pedes, lingua, totum deniq; corpus, habitu
aliquo artificioso ab externa motrice virtute sic informatum rata
certitudine prestare potest, quis absurdum dicat, naturam idem vale-
re in gignendis ac producendis corporum generabilium & corruptibi-
lium substantijs, à sapientissimo mundi architecto operum suorum
puta generationis ac propagationis specierum vicariam in primor-
dio constitutam?

24. Porro forma ut est rei cuiusq; tota est, tota quidditas, &
essentia ratio, ita totius compositi definitio est. Etsi verò duabus
partibus id ipsum coagmentatum est, materia scilicet & forma, ta-
men diuersissima ratione duo illa composito naturali inesse cæpe-
runt.

25. Materia ante iunctionem illam suapte natura sola diuina
entis rationem obtinebat, actum verò per formæ assumptionem con-
secuta. Non iniuria igitur formæ ascribenda est compositi ratio.
Alia ratio est indiuiduorum artificialium, horum enim utraque
pars opus artificiosum antecedit, & in confecto opere quod ante erat
permanet, tantum diuersam partum configurationem, aliumq; ea-
rundem positum perpeffa.

26. Forma verò cum latitudine quadam accipimus, videlicet pro
omnibus

omnibus partibus essentiam illam unam ac simplicem existentem
individuè exprimentibus, ut sunt genus, differentia & horum par-
tes.

27. Hoc Aristoteles vult cum inquit ἢ τὰ τῶν γένων: Sape enim
ut genus ita & differentia pluribus coagmentata est partibus, ex
quorum collectione constat hic causæ modus. Vnde ipsa quoque defi-
nitio compositi omnibus illis partibus conficitur, ut hominis ἄνθρωπος
λόγος est animal rationale, sentiens, animatum, perfectè mixtum.
Omnia hæc unius formæ rationem obtinent, ipsum etiam genus, hoc
enim in sese consideratum uniuersale est, & abstractiua species, ani-
mæ sedem occupans, quam materia ingredi nequit: Forma enim
lapidis, non ipse lapis animo inest inquit Aristoteles.

28. Definitio igitur est λόγος αὐλός non ad διάνοιαν nec ad
αἰσθησιν, sed ad solam mentem pertinens: Colligitur tamen ad mini-
culo inferiorum facultatum, estque rerum demonstrabilium, & eter-
narum, sicut λόγος ἐνυλός seu definitio materialis est rerum opi-
nabilium, & sensu comprehensibilium, idcirco caducarum, nec de-
monstrationi aptarum.

29. Etsi autem forma hæc compositi definitio existens, pluribus
verbis constat, non tamen essentia eius multiplex est, sed una &
individa ἕσθια verbis multiplicata, unaque & individa intelli-
gentia apprehensa, ideoque veri, & falsi prorsus expers, hæc enim af-
firmationis & negationis propriæ affectiones sunt, non etiam sim-
plicis νοήματος, quod si proferatur, φάσις dicitur, non etiam κατάφα-
σις vel ἀπόφασις, in his enim unum de altero predicatur, & quidem
vel verè vel falsò.

30. Definitio ergo φάσις quedam est simplex & una per essenti-
am oratio qua unum duntaxat intelligitur aut nullum, & quidem
simplicissima mentis energia, tam veri quàm falsi expers.

31. Ab hac notione differt propositionum ac demonstrationum
apprehensio, illa enim simplex est & rei unius individui conce-
ptus; propositionum verò apprehensio omnis diuidua est, cum unum
de altero

de altero in illis enuncietur, nec ipsum rei esse sicut in definitione, sed inesse attendatur, intellectu scilicet seu diuina in predicati simul & suppositi naturam discurrente.

32. Tertia cause species est, unde primum motionis, & quietis principium effectiuè prouenit, nihil enim seipsum mouet aut gignit, sed semper ab aliquo alio, siue interno siue externo agente impulsus de quiete in actum erumpit. Quocirca si affectiones quaedam subiecto concilianda, aut expellenda fuerint, vel ipsum mutandum, effectiuo & transmutante principio opus est. Coalescit enim omnis composita substantia ex materia diuina quodlibet existente, & forma diuina istius actum obtinente, agentis efficacia in unum coeuntibus.

33. Efficientis porro ratio diuersa est nec una eademque species. Vt in naturalibus semen efficiens est, item Medicus, sed illud foetum producit, quatenus habet sibi insitam virtutem γενετικὴν: hic sanitatem efficit, extrinsecus subiectum sanabile alterans. Sic corpora caelestia mouent & afficiunt vniuersam hanc elementarem regionem extra eandem & loco ab eadem seiuncta: utraq; tamen agentia efficientis nomen & definitionem obtinent.

34. Ad efficientem igitur causam pertinent illa omnia unde est principium motus in alio, quatenus aliud est, non ut principium motus & quietis materiale, hoc enim non inest quatenus est aliud ac diuersum à subiecto mobili, sed est ipsa res & substantia naturalis non discrepans ab eo suo principio, ut in definitione naturae dictum.

35. Quartus & ultimus causa modus est id, à quo agens excitatur ad agendum aliquid sub ratione boni nempe finis, non quidem terminans motum, is enim rei perfectio est nihil à forma discrepans, sed prout concepto constitutoque illo, agens impellitur ad operandum & efficiendum omnia quae faciunt ad propositi finis adeptionem: ut medicus ad curandum mouetur sanitate pulsus, boni rationem obtinente: huius gratia omnia agit, ambulationem praecipit, ieiunium mandat, purgat, alterat, confortat corpus affectum.

36. Est igitur finis in naturalibus, vis ac proprietas quaedam, dirigens

B

gens

gens ac gubernans naturam in ciendis motibus, ut omnia rato ac constanti ordine agendo, tandem ad propositi extremum perueniatur, bonum scilicet ac desiderabile, quod natura propter orbitatem sui $\omega\omega\epsilon\epsilon\alpha\iota\text{:}\epsilon\chi\epsilon\omicron\nu\ \tau\delta\ \kappa\acute{\alpha}\tau\delta\ \epsilon\text{:}$ expetit.

37. Hoc autem siue bonum, siue pulchrum, Medici vocant $\epsilon\upsilon\delta\alpha\iota\zeta\iota\nu$, hoc est, indicationem, indicat enim Medico quid agendum sit, simulq; mouet illum ad considerationem verae causae morbi, dehinc extimulat eundem ad consilium capiendum de eiusdem curandi modo.

38. Finis porro in scientijs, ac demonstrandis rerum rationibus, singularem habet vim, adeo ut in eius notione maxime acquiescat inquirentis curiositas. Idcirco causarum princeps habetur, à qua caeterae causae dependent, & de his singulis reddendus est. Quærenti enim cur materia, forma vel & efficiens sit, finis respondetur, nec ulterius aliquid requiritur: Exempli gratia. Cur anima facit ex semine organicum corpus? Respondetur ut possit eo commodè uti, ad vitalium munerum exercendi institutum & sic de cæteris.

39. Sicut autem cuiusq; operis in natura rationem præcipuè ex fine petunt, & ad eum tam materiam, quàm efficientem referunt: ita etiam in ciuili vita consuetudine omnes actiones decernuntur, & iudicantur à fine; Si enim honestatis, & virtutis gratia susceptæ fuerint, probæ ac laudabiles perhibentur esse, improbæ & odio dignæ, alterius causa susceptæ, puta vel captandi lucri, vel voluptatis gratia.

40. Similiter iudicij rectitudo, & peruersitas, per hunc finem demonstratur, consulto enim, & nocendi studio improbe agens, iure ad pœnam damnatur, $\alpha\pi\epsilon\omicron\alpha\upsilon\gamma\epsilon\tau\iota\varsigma$ verò peccans, crimine vacare iudicatur, legumq; pœnam effugit, ob causam, criminis rationem constituentis defectum, quæ est $\pi\epsilon\omicron\alpha\upsilon\gamma\epsilon\tau\iota\varsigma$, sola discrimen faciens inter virtutes & vitia, bonos & malos.

41. Inconsultè delinquere dicuntur, cum alij tum hi, qui in officio halucinantur, illa agentes quæ finis adeptionem polliceri putabantur, à quo maximè abduxisse postmodum comperiuntur.

42. Hi tamen euentus infausti & consilio contrarij à vulgò reprehenduntur,

henduntur, ipsiq; auctores stulti & temerarij proclamantur, ut Tragicus ille cōqueritur, τῶν δὲ εὐτυχούντων φερέντων νομίζομεν. Cui illud Pseudoli Plautini conuenit, Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem cautum declaramus, stultum autem cui vertit male.

43. Hoc multitudinis iudicium de ἀπροσδοκῆς consiliorum euentu ut iniquum, & male consideratum iure detestatur alicubi Poëta his verbis:

Exitus acta probat, careat successibus opro,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Nihil enim v. acordius, aut longius à gratitudine honestis conatibus, pro bono communi susceptis debita abest, quàm in negotijs, & actibus humanis siue prospera fortuna adiuentur, siue aduersa deprimantur successum spectare, & non potius ex agentium proposito & fine, cæterisq; precedentibus negotijs præclare eundem polliceri, existimatis iudicium ferre.

44. Hanc igitur causam siue in natura, siue in negotijs humanis, non cognoscentes, rei propositæ penè in vniuersum ignari sunt, tollentes verò, disciplinas omnes tam theoreticas quàm practicas mutilant, obscurant, & sua dignitate priuant, quod Democritus Anaxagoras, Empedocles & tota penè antiquitas fecit, asserens naturam nullius propositi gratia agere, sed moribus ac mutationibus assiduis hanc caducam mundi partem, temerè ac fortuito susq; deq; ferri.

45. Hos Aristoteles 2. de ortu & interitu merito reprehendit, finis enim naturam vniuersam in architectandis, & moliendis operibus moderatur, dirigit, ac regit, materia vtiuentem ut organo, & instrumento idoneo, minimè verò eius inclinationem ut serua, vel ministra sequens. Nihil siquidem sine commoda materiae dispositione producere potest: quocirca necessitas in rerum natura dominans, materiae ex hypothesi, minimè verò absolutè inesse statuitur, sed tota illa natura propter finem omnia agenti ascribenda est.

46. Quod paulo ante diximus precipuam vim demonstrandi causa finienti inesse, non excludimus illa assertione ceteras causas, aut suo usu diminuimus, plurima siquidem insunt rebus propter materiam, pleraque et propter formam, nonnulla etiam reperiuntur in subiectis inherencia propter efficiens, quae omnia demonstrantur per easdem causas. V. G. si queratur an virtus Epatis ex hoc chylo bonum & alio malum sanguinem, item, cur ex uno eodemq; chylo quatuor humorum differentias efficiat? ratio ex materiae diuersitate petitur. Cur cometa conflaret, stellis perpetuae durationis statum conseruantibus, itidem ratio à materia petenda, diuersae enim materiae dissimiles affectiones competunt.

47. Explicatus haectenus quaternarius causarum numerus, verus est & rectè assignatus, nam rei cuiuslibet quæsitis adequatus est, quorum sunt quatuor: Primo enim queritur ex quo res oblata genita vel generanda sit, ad quam sciscitationem materia respondenda, tanquam id quod insit. Deinde queritur per quod constet res, cui inquisitioni forma satisfacit. Tertio cuius virtute & efficacia fiat, ubi omnino efficientis redditione opus est. Vltimo queritur propter quid res sit vel fiat, hic apud finis respondendus est. His quatuor plura sciscitari nequeunt, quocirca nec plures cause requirenda.

48. Eadem causarum rebus adequata multitudo ostenditur & hoc argumento, quod omnis causa sit vel interna vel externa, si interna, erit vtiq; vel rei actus vel potentia, actus formam representat, potentia materiam exhibet: Sin externa, vel praecedit effectum & sic est efficiens, vel sequitur & finis, est nomine tamen mutato, dicitur enim forma.

49. Hic quaternarius causarum numerus, ex quatuor essentialibus effectum causandi modis sumptus, multiplicatur ab Aristotele, & varijs diuisionibus iuxta diuersas habitudines ad effectus distinguitur. Est ergo prima causarum generis diuisio haec, alia est communior & remotior, alia propinquior effectui, & quidem, in singulis generibus causarum: ut in efficientium genere artifex remotior est, medicus propinquior causa sanitatis respectu. In genere causa materialis statua, remotior est
lapis

lapis propinquior marmor. In genere causa formalis proportio dupla est causa propinquior ipsius concentus διαπασων, communior vero proportio numeralis.

50. Intelligimus autem nomine communioris causa, tam illam quae est praedicatione talis, ut in commemoratis exemplis, quam secundum virtutem ut sic loquar causalitatem. Ut Sol est causa communior calefactionis quam ignis, ille siquidem uniuersa suo calore fouet, hic tantum vicina.

51. Secunda diuisio, aliae sunt per se causa effectus, aliae ex accidente. Causa per se est à qua pendet per se effectus, ut statuarius statuae. Causa ex accidente est, à qua non per se effectus pendet, at tamen per se causa iuncta est. Sic Polycletus est causa accidentalis statuae, quia statuario accidit ut sit Polycletus.

52. Non solum causa ex accidente dicitur respectu cause per se, cui fortuito adheret, sed etiam ipsa causa per se potest ex accidente causa esse respectu effectus: ut si statuam contingat esse albam, huius alboris accidentalem causam dico statuarium esse, qui est causa per se statuae, non etiam albedinis.

53. Tertius diuisionis modus, aliae sunt simplices causa, aliae coniunctae, simplices quae sunt unius & eiusdem speciei, puta vel per se tantum, vel per accidens tantum, ut Polycletus est causa simplex ex accidente statuae: Coniunctae dicuntur cum ambae copulantur, ac iunctim enunciantur: ut Polycletus statuarius respectu statuae: Apelles pictor, respectu picturae.

54. 4. Diuisio alia actu causalitatem implet, alia δυναμει saltem cause rationem obtinet: ut sculptor vacans ab opere sculpendi: idem actu causa dicitur si operi incumbit. Dictae causarum diuisiones possunt etiam effectus suo modo accommodari, horum enim quaedam communia sunt, quaedam minus communia: item alia actu, alia potestate.

55. Ex his diuisionibus, seu differentijs exorta causarum multitudo ad duodecim restringi potest: Si enim priores tres sumantur coniugationes nempe causa uniuersalis & particularis 2. item causa per se & causa

per accidens 3. causa connexa & simplex, emergunt sex, & harum singule complicentur cum causa actu, & potentia, dicendo, causa uniuersalis alia actu est talis, alia potentia, & sic de ceteris, emergunt in uniuersum duodecim modi seu differentia causarum, qui tamen omnes ad quatuor genera paulò ante recitata reuocari possunt, materiam efficientem, formalem, & finem. Et sic nec plura nec pauciora summa genera causarum sunt quàm quatuor.

De proprietatibus causarum.

56. Tres siue proprietates siue adiuncta sunt causarum 1. Vnius & eiusdem rei sunt plures causa, eaque per se, siue fuerint diuersi generis, ut statua causa sunt statuarius, as, cultus seu adoratio, quarum tamen nulla potest esse totalis causa alicuius effectus.

57. Secunda. Quaedam possunt sibi inuicem esse causa, sed non eiusdem ordinis existentes: ut deambulatio est causa sanitatis prout est efficiens, & contra sanitas est causa deambulationis, prout est finis propter quem suscipitur deambulatio. Sic materia est causa forma, prout eam in se recipit, forma est causa materia, prout eam actu esse facit, quae ante erat potentia.

58. Tertia. Vna eademq; causa potest contrariorum effectuum esse motiuum principium, sed unius positiua, alterius priuatiua: Ut nauclerus causa est secunda nauigationis presentia sua, item naufragij, scilicet absentia. Neutrius tamen effectus est totalis causa, sed venti secundi vel aduersi, item mare cauitibus impeditum, vel liberum $\sigma\omega\upsilon\alpha\lambda\iota\alpha$ sunt dictorum effectuum.

Α Π Υ-



Primum An rectè à Platone dictum sit:

ITa rectè Philosophabimur si Deum agnosceremus uniuersa natura parentem, causam & gubernatorem esse, eiq; iuste uiuentes obtemperabimus.

2. An Lutherus bene dixerit:

Non Imaginamur cum interpretibus, qui damnari, & contemnenda docent ceu vanas, & inutiles speculationes cognitionem naturæ, item Astronomiæ, atq; adeo totius Philosophiæ studia: cum tamen harum artium magna, ac multa sint commoda, & scriptura sacra metaphoris, & parabolis à natura sumptis plena est, ut qui hæc à sacris literis abstulerit, magnam quoq; lucem abstulerit.

3. An Melanthon rectè scripserit:

Artium dignitas, & vis non alibi magis conspici potest, quàm si videamus quantum illis opus sit in Ecclesia, quantis tenebris religionem obruat inscitia, quantam vastitatem, quàm horribiles dissipationes Ecclesiarum, quantam barbariem, & confusionem totius humani generis: Primum igitur, illas malorum est inerudita Theologia, est enim confusanea doctrina, in quo magna res non explicantur diserte, miscentur ea, quæ oportebat disiungi, sæpe pugnantia dicuntur, Vicina arripiuntur pro veris, & proprijs: postremo tota doctrina monstrosa est, & similis pictura poëtæ, humano capiti ceruicem pictor equinam, &c. talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, Quare Ecclesiæ opus est toto doctrinarum orbe.

4. An Melanthonis Philosophiæ vituperatorum reprehensio iniuriosa sit?

Sed dicit aliquis, quid physicis, & Ethicis opus est doctrina Ecclesiæ? hæc interrogatio vere est, σπουδαίον ἔπος cum Ecclesiam, deceat & optime moratam esse, & pulcherrime instructam literis & artibus.

F I N I S.



57012
ABI 57012

ULB Halle

3


002 055 449



Sb.

VD 77






No 40

No 40





PROPOSITIONES PHYSICAE
DE RERVM CAVSIS,
EXERCITII GRATIA IN INCLY-
TA IVLIA ACADEMIA DISPV-
TANDAE PROPOSITAE;

De quibus Deo volente,

Sub praesidio

M. OVENI GVNTHERI, ARISTO-
TELICAE PHILOSOPHIAE
ibidem Professoris publici,

RESPONDEBIT

*M. JOHANNES LEO PAPAE-
burgensis.*

Die 15. Martij Anno 1600.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1600.

